

voit point de Courtisan en France se mêler de poësie et d'erudition, comme faisoit Wigbode. Absunt jam a Codice nostro haec Παεγγα, qui ita inchoat: *Primo omnium preceptor mi inquiri michi necesse est* &c. ubi noto, Interlocutores, qui in editis per D. et M. Discipulum nempe et Magistrum, distinguuntur, nobis per A. et H. designari. Editorum finis: *plenitudo enim legis caritas*, concurrat cum fine fol. nostri 54. a quo Inedita sic procedunt: *Adam vero cognovit uxorem suam. Ysidorus.*

Natiuitas duorum filiorum adam similitudinem habet duorum populorum &c. Codex vero totus abrupitur in *Quaestionibus L. Numer. C. 26.* his verbis: *aut propter duas uias actionis et contemplacionis ad eternam beatitudinem predestinantur.* Notantur item fol. 56. p. 2. de *Genesi* quaedam excidisse. Ceterum Libri singuli praeter *Genesin* praefixa habent *Quaestionum Summaria*, et saltem usui esse poterunt citatorum PP. Opera olim recensituris. Ad calcem coaeva manu adjecti Verficuli:

*Ne pudeat, que nescieris, te uelle doceri.
Scire aliquid laus est, crimen, nil discere uelle.
Instrue preceptis animum, ne discere cesses,
Namque datur longo sapientia temporis usu.*

Ad compingendum Codicem anterius adhibita est Membrana continens tribus columnis Fragmentum

Cantici hebraici luculente exarati hoc initio:

אל וכי יפקוד
מה אשיבנו :

CCCCXI.

U. 267 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 69. f. per duas columnas caractere atro luculento exaratus, rubricis conspicuus, et olim testamento Thomae nostri Haselbachii, ut frons testatur, delatus ad Collegium ducale Wienne apud fratres predicatorum ita orditur: *In nomine domini incipit Prologus Ven. Bede presbiteri in libros Salemonis.* Nota: in libros Salomonis. Est igitur Praefatio gene-

ralis in *Proverbia, Ecclesiasten, et Cantica*, quam cum nemo, quod sciam, memoret, cumque proluxa non fit, primus hic integram proferam. *Tribus nominibus uocatum fuisse salemonem scripture manifestissime docent. pacificum id est salemonem. et hydida id est dilectum domini. et quod nunc dicitur coeleth. i. ecclesiasten. Ecclesiastes autem greco sermone appellatur. qui cetum in ecclesiam congregat. quem nos nuncupare possumus concionatorem quod loquatur ad populum et*

ser-

sermo eius non specialiter ad unum sed ad uniuersos generaliter dirigatur. Porro pacificus et dilectus domini ab eo quod in regno eius pax fuerit. et eum dominus dilexerit. appellatus est. Nam et psalmus XLIII. et LXXI dilecti et pacifici prenotantur titulo. Qui tamen etsi ad prophetiam christi ecclesieque pertinentes felicitatem et uires salemonis excedunt. tamen secundum historiam super salemonem conscripti sunt. Itaque iuxta numerum uocabulorum tria uolumina edidit proueria. ecclesiasten et cantica canticorum. in prouerbijs paruulum docens. et quasi de officijs per sententias erudiens. unde et ad filium eius sermo crebro repetitur. in ecclesiasten uero mature etatis uirum instruens. ne quid in mundi rebus putet esse perpetuum. sed caduca et breuia uniuersa que cernimus. ad extremum iam consummatum uirum. et calcato seculo preparatum in cantico canticorum sponse iungit amplexibus. Nisi enim prius reliquerimus uicia et pompis seculi renuntiantes expeditos nos ad aduentum christi paraauerimus. non possumus cantare cantica canticorum. Sed hic diligentius attendendum. quod per tres libros auctoris diuersus est tytilus. In prouerbijs enim notantur proueria salemonis filij dauid regis israel. in ecclesiasten uero uerba ecclesiastes filij dauid regis ierusalem. Superfluum quippe est hic israel. quod male in grecis (nunc Ἰσραὴλ ἐν Ἱερουσαλὴμ) et latinis codicibus (Vulg. non habet Israel, nec

Hebr.) inuenitur. in canticum autem canticorum nec filius dauid nec rex Israel siue ierusalem inseritur sed tantum canticum canticorum salemonis. Sicut enim proueria est rudis eruditio et rudis institutio ad duodecim tribus et totum pertinet israel. et quomodo contemptus mundi (in Ecclesiaste) non nisi metropolitanis conuenit. hoc est habitatoribus ierusalem. ita canticum canticorum ad eos proprie facit. qui tantum superna desiderant. Ad incipientes et proficientes et paterna dignitas et regni proprii merito uendicatur auctoritas. ad perfectos uero ubi non timore sed amore eruditur discipulus. proprium nomen sufficit. Equalis magister est et nescit se regem. Que omnia referuntur ad christum. Praefationem hanc futuro Bedae Editori non negligendam excipit igitur in Codice Commentarius in Parabolas, prout extat in Edit. Opp. Colon. 1688. T. IV. col. 634. mire tamen jam excessu, jam defectu ab Editis varians; ut enim eodem modo ordiantur: Parabolae Salomonis &c. Parabolae graece, latine dicuntur similitudines &c. mox tamen post uerba: laudibus occurrere declarantur, in diuersum abeunt, Edita quidem: Notandum autem, quod uulgata Editio &c. Codex uero: Salemon quippe qui interpretatur pacificus &c. nec nisi post plures lineas in idem conueniunt: nam et proueria plerumque tam obscure dicuntur &c. Atque id frequenter accidit, maxime priore Tractatus parte, qui

in *Libros* distinctus non est. *Extrema* ubique: *dignis in praesenti vita collaudare servitijs.*

II. fol. 40. id, quod e praemissa Praefatione generali praesumendum erat: *Incipit liber ecclesiastes hoc est celeth.* Lege *kobeletb*, קהלת. In *Ecclesiasten* se scripsisse Beda ipse testatur in *Indiculo Lucubrationum suarum*, quem ab *Sigeberto*, *Anonymo Mellic.* et *Tribemio* exscriptum, nescio qua Editorum oscitantia, in *Edit. cit. Colon. 1688. T. III. ad calcem Breviarii Eccl. Historiae Gent. Anglor. col. 151.* desideras; habes vero in *Rerum Brit. Scriptorib. Hier. Commelini Heidelb. 1587. p. 208. f. In Parabolis*, ait, *Ecclesiasten & Cantica canticorum*; eodem igitur ordine, quo se in *Codice* praesenti excipiunt. Unde hiat *Colonienfis* Editio a *Parabolis* ad *Cantica* transfiliens, cumque *Bedae* solertissimus ἐπιλογος *Guil. Caveus* non nisi unicum *Collegii Balliol. Oxon. Exemplum ms. p. 615. edit. Basil. 1741. Vol. I. f.* excitet, rarissimam esse oportet *Bedae in Ecclesiasten* Commentationem. Atque en illam Editori apud nos paratam. Init: *Salemonis hic liber qui ecclesiastes appellatur. proprie concionator dicitur. In contione uero sententia promitur. per quam tumultuose turbe seditio comprimatur. et cum multi diuersa sentiunt. per contionantis uerba ad unam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco concionator dicitur. quia Salemon in eo quasi tumultuantis turbe suscepit sensum. ut ea per inquisitionem dicat. que*

fortasse per temptationem imperita mens sentiat. &c. Finit autem: Et cuncta que fiunt adducet deus in iudicium pro omni errato siue bonum siue malum sit. Hoc est quod ait apostolus. In die qua iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum. Et iterum. Omnes enim nos oportet stare ante tribunal christi. ut recipiat unusquisque prout gessit siue bonum siue malum. Et minio: Explicit liber ecclesiastes id est celeth.

III. fol. 58. p. 2. *Incipit cantica cant. i. syrasirin.* Lege *Schir Hasschirim שיר השירים.* Praeit *Ogdostichon* illud: *Hunc cecinit Salomon &c. quod produxi Vol. I. P. 1. col. 95.* sed emendatius, nam et *thalami* pro et *thamos*, *mente tua* pro *menti tuae*, *illa sonabunt* pro *ille sonabit* rectius hic legitur. Versus hos, velut *omni patellae operculum*, variis *Canticorum* Expositionibus pro *Scribarum* libitu praefixos esse censeo. *Expositio* enim, quam *I. cit.* antecedunt, a praesenti diuersa est, ut initia conferenti patebit. Praefens videlicet ita inchoat: *Osculetur me osculo oris sui. Vox antique ecclesie uisionem atque reconciliationem sponsi sui ad deum postulantis. Osculum enim reconciliationem significat. Ac si diceret. Tangat me dulcedine presentie suae. quam sepius a prophetis promissam audiui &c. Et finit: Hinnulus propter uarietatem uirtutum. qui cum carne ad celos ascendit. cum ipsa uersatus est in terris. Montes aromatum angeli intelliguntur. super quos exaltatus est homo assumptus. Amen.*

Atque

Atque ex his simul conficitur, Expositionem nostram hanc non esse illam, quam *Vol. et P. cit. col. 1032.* produximus *Bedae* quidem bis inscriptam, sed a nobis potius *Haymoni Halberst.* tributam, cuius etiam, ut notavimus, nomine impressa prostat. Denique nec illa est, quae in *Libros VII.* divisa inter *Bedae Opera* edit. *Colon. cit. T. I. col. 714.* legitur. Rem ipse componit *Beda* in supra memorato *Scriptorum suorum Indiculo*, in quo primum se *Libros VI.* dein iterum *Capitula Lectionum* in *Cantica* elaborasse testatur. *Libros* illos *VI.* impressos habes, *Capitula Lectionum* egregius hic *Codex* noster imprimenda offert. Erit tamen praeterea *Editori* de altero etiam in *Proverbia* *Tractatu* circumspiciendum; nam et in haec bis commentatus est *Beda*.

Praetensa *Codici* *Membrana* laciniam offert *Sec. saltem IX.* nitide exaratam per duas columnas, quae continet *Leonis M. P. finem Homiliae V. de Quadragesima*, et *Principium I. de Passione Domini* edit. *Lugd. 1700. p. 106. et 118.* Et prior quidem inchoat a verbis: *Non longe est ab unoquoque quod poscit*, exacteque respondet *Editis*, si *lenitate praescribit* pro *praescripsit* demas. *Istud* vero abit in sequentibus: *Sacramentum dominicae passionis* pro *Sacratissimum Dominicae passionis diem. tam plene pro tam plane. Nemo tetrām diaboli dominationem* pro *Nemo dominationem diaboli. Patri Deo filius deus* pro *filius dei. Ut quia per adam* pro *ut sicut. refudit*

generationes pro refudit atates. nisi in hac fide vixit pro sacra fide vixit. neque illam aequalem et coaeternam — et putemus pro neque illam ita coaeternam et aequalem — ut putemus. Quia non est fastidita humilitas nec pro Non est fastidita humilitas quia nec. tenebamur obstricti pro constricti. Extrema sunt: Non tamen ita se abstenuit gloria — —. Dolenda sane iactura insignis Exempli!

CCCCXII.

Codex membranaceus lat. *Sec. U. 118 IX.* Folior. 188. f. forma paene quadrata, luculente per duas columnas exaratus, minio, literisque initiorum uncialibus conspicuus, et a. 1790. *Parisis* adlatus complectitur *Ven. Bedae*, qui *Sec. VII. et VIII. Angliam* suam illustravit, *Expositionem in S. Lucae Evangelium.* Praeunt mutuae *Accae* *Episcopi* *Opus* istud exigentis, et *Bedae* aduentis *Epistolae. Reverentissimo In Christo Fratri Et Consacerdoti bedae presbitero acca perpetuam in domino salutem.* Item: *Bedae* *Responsum* absque *Inscriptione: Mira Vere est et mirae (vera mire) doctoris egregii sententia &c.* Sequitur *Elenchus* *Particularum XCIV.* totam *Expositionem* sistens ad hunc modum: *Praefatio. Lucas theophilo euangelium indicat per ordinem Scripturarum. II. Sacerdotium iusti Zachariae refertur et visio in templo qua ei filius angelo reuelante promittitur nasciturus cuius etiam conceptionem memoratur. &c.*